



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 24. Simulata Brigodæi Palinodia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](#)

in unius hominis (Molinæ) cerebro re-  
cens natas defensuri, ac pro iis, si o-  
pus foret, sanguinem effundere, om-  
niaque vitæ incommoda potius per-  
peti, quam ut eæ ullo pacto labefacten-  
tur, consentire velint. VII. Quod sem-  
per doctrinæ moralis Christianæ cor-  
ruptores insectaturi, præcipue doctri-  
nam Regum parricidalem, & seditio-  
sam opinionem de Regum depositione  
exterminaturi sint. VIII. Quoniam  
vero etiam inculpatissimi, ac pruden-  
tissimi quique a calumniis nunquam  
sat tuti sunt, hinc supplicetur Regi,  
ut eorum accusatores adstringantur le-  
gitime probare ea, de quibus eos ac-  
cusant, & si defecerint, calumniato-  
rum poenis punirentur.

Hæc scripta transferebantur ad Re-  
gem Christianissimum, qui summa ad-  
miratione defixus, aperte cognovit,  
Jansenistas conflare factionem non modo  
Ecclesiæ, sed & Regno summopere no-  
civam, & publicæ quieti adversam,  
quocirca illos deinceps pari ferme se-  
veritate ac Hugonotas insectatus est.

#### §. XXIV.

##### *Simulata Brigodæi Palinodia.*

Quoniam vero Brigodæus e carcere <sup>Cauſa Ques-</sup>  
suo, in quo jamjam per semestre <sup>nel. p. 454.</sup>  
hæsit,

Sæc. XVII. hæsit, per Gallicum ejusmodi Ange-  
A.C. 1703 lum educi desperaret, dolo, ac simulata  
submissione viam sibi aperire statuit:  
igitur Mense Novembri libellum suppli-  
cem ad Mechlinensem Archiepiscopum  
transmisit, in quo crimina sua velut  
alter Filius prodigus in se reversus,  
suaque crimina confessus, veniam cle-  
mentiamque exoravit. Hujus libelli  
summa erat hæc:

„Postquam Divinæ Providentiæ pla-  
„cuit, me Reverendissimæ Dominatio-  
„nis vestræ manibus tradi, ut eidem  
„de mea agendi ratione, quam per plu-  
„res annos in hac patria moratus te-  
„nui, rationem redderem, profiteor,  
„quod libellum sub titulo: *Motivum ju-  
ris pro D. Opstraeto* imprimi curaverim,  
„eumque pluribus eo fine consignave-  
„rim, ut æquitas sententiæ per Recto-  
„rem latæ, & a pluribus damnatæ  
„pateat, ac præclari hujus Collegii  
„Doctores ad corrigendos suos exces-  
„sus, de quibus convicti, indies in gra-  
„viores ruunt, inducantur..”

„Lovanii existens, observationes  
„Huygenii, jus Ecclesiasticum Van-  
„Espenii, Compendium Moralis Evan-  
„gelicæ, Paradisum animæ Merlo-  
„Horstii, & Laconani cogitationes  
„correxerim..”

„A non-

„A nonnullis Bibliopolis aliisque Sæc. XVII.  
„libros indies evulgatos emere, aut A.C. 1703.  
„transmittere rogatus, iis inserviendi  
„animo transmisi: *Expositionem fidei,*  
*Nicolei Systema, spirituale Testamentum*  
*Arnaldi, collectionem Sfondrati, literas*  
*Provinciales, Opera Baij & Jansenii,*  
*Disquisitiones duas, binos tractatus Histo-*  
*ricos, Historiam succinctam & generalem*  
*Jansenismi, Panegyricum Jansenianum, ejus-*  
*que apologeticas, Caussam Jansenianam, Epi-*  
*stolas, & Phantasma Jansenii, gratiam*  
*triumphantam, opera S. Augustini, Am-*  
*brosii, Bernardi, Leonis a P. Quesnello*  
*edita, innocentiam oppressam, confidentiam*  
*Christianam &c. Fateor, quod iisdem*  
„quoque Typographis tradiderim libros  
„a me conscriptos, ut eos iterato præ-  
„lo subjicerent: edi etiam curaverim  
*Memoriale, Rigorismum, innocentiam &*  
*fidem Cleri Batavici, pluraque scripta*  
„facta in caussa Seminarii Leodiensis,  
„Apologiam epistolarum Provincialium,  
„plurimumque aliorum librorum..”

„Fateor, quod in meis literis ad  
„amicos saepe verbis charitatem & re-  
„verentiam Superioribus debitam læ-  
„dentibus usus fuerim, nos quoque  
„non raro signis occultis seu cifris usi  
„fuerimus, easque auctoritate S. Scri-  
„pturæ, & exemplo Sanctorum firmare  
„conati simus, quod inter meos libros  
„ha-

Sæc. XVII., habuerim plurimos legi prohibitos,  
A. C. 1703. „partim ad me, partim ad meum fra-  
 trem Anselmum pertinentes, quod  
 „Quesnello, dicenti, se a RR. Præde-  
 „cessore vestro Missam celebrandi licen-  
 „tiam habenti, inservierim, diebus  
 „tamen Dominicis & festivis alibi  
 „Missæ interfuerim.“

„Toto semestri captivitatis meæ  
 „nunquam cessavi, rogare Dominum  
 „Deum meum, quatenus omnia mea  
 „peccata, & defectus hac in re & per  
 „totam vitam meam commissos con-  
 „donare velit, eosque mihi condo-  
 „natos esse confusus, ac in magnam  
 „eius misericordiam, & per sanguinis  
 „Christi pro me Patri æterno in Cruce  
 „oblati pretium sperans dixi: *in die*  
*tribulationis meæ clamavi ad te: quoniam*  
*exaudiisti me.* Hæc fiducia misericordiæ  
 „a Deo obtentæ mihi animum addit,  
 „ut & ad RR. Dominationis vestræ pe-  
 „des me confidenter projiciam, hu-  
 „millime supplicans, quatenus pariter  
 „cuncta in me sibi displicentia condo-  
 „nare velit: Eam hæc verba S. Jacobi  
 „consideraturam confido: *Superexaltat*  
*misericordia judicium,* atque in mei fa-  
 „vore applicare velit illa D. Augu-  
 „stini verba: *Cur adhuc reputamus pec-*  
*catores, quos pœnitentia credimus sanatos?*  
 „& illa: *Quis non intelligat debere igno-*  
*scerit*

scere Maritum, quod videt ignovisse Domini Sæc. XVII.  
num amborum, nec jam se debere adulteram A.C. 1703.  
dicere, cuius pœnitentis crimen divina cre-  
dit miseratione deletum? Spero igitur,  
„quod Deus, qui in me conversionis  
„opus incæpit, usque ad diem Jesu  
„Christi perficiet, quodque ego ubi-  
„cunque fuero, nec RR. Dominationi  
„vestræ, nec aliis meis Superioribus  
„offensioni unquam sim futurus: Pro-  
„fiteor, me nunquam cessare, nec per  
„totam vitam meam cessaturum, pro  
„ejus incolumente Deum implorare,  
„ad id eo magis obstrictus, quo cer-  
„tius agnosco, quod Deus ad miseri-  
„cordiam mihi impendendam ejus mi-  
„nisterio usus fit: Sum cum omni ve-  
„neratione, submissione, possibili gra-  
„titudine &c. „

Hujus libelli supplicis verba ac rei  
confessionem Mechliniensis Archiepi-  
scopus serio ponderabat, & Brigo-  
dæum vîtrici gratia expugnatum, ve-  
re que pœnitentem credens, omnium  
delictorum veniam eidem tribuit, li-  
bertatemque reddidit, adjectis quibus-  
dam conditionibus, ut liquet ex ejus-  
dem decreto:

„Viso hoc libello supplice, & de-  
„super habito judicio D. Advocati no-  
„stri fiscalis, adscribentes supplicant  
„in pœnas detentionem sex mensium,  
„jeju-

Sæc. XVII. „jejunium voluntarium, & alia opera  
A. C. 1703. „pœnitentialia, quæ suscepit, ac at-  
„tentis promissionibus in hoc libello  
„factis, præferentes misericordiam ju-  
„dicio, concedimus supplicanti gratiam  
„hic petitam, sub conditionibus sequen-  
„tibus, primo, ut supplicans in manibus  
„nostris, aut Vicarii Generalis emit-  
„tat fidei professionem, & præstet ju-  
„ramentum juxta formulam Alexan-  
„drinam, sincere, absque ulla distin-  
„ctione, restrictione, seu expositione,  
„& habito respectu obvii sensus dictæ  
„formulæ: eoque facto absolvimus sup-  
„plicantem a censuris, quas incurrit  
„distribuendo, & edendo libros respe-  
„ctive famosos, anonymos, injurios,  
„scandalosos, manu tortoris combu-  
„stos, prohibitos a S. Sede, & conti-  
„nentes Doctrinam in Jansenio con-  
„demnatam..,

„Secundo, ut supplicans ultra ex-  
„penas dari curet in Eleemosynam  
„Monasteriis Carmelitarum discalcea-  
„tarum *Vilvordiæ*, Brigittinarum, ac  
„Magdalenaarum, ac Domui S. Crucis  
„in hoc oppido, singulis quinquaginta  
„florenos monetæ currentis, de qua  
„datione, priusquam relaxetur, nobis  
„faciet constare..,

„Tertio, ut supplicans post quinque  
„dies ab acceptatione hujus gratiæ,  
„quos

„quos ipsi concedimus ad negotia sua, Sæc. XVII.  
„quæ forte habet, in Palatio nostro li- A.C. 1703.  
„bere ac modeste componenda, se con-  
„ferat ad Carthusiam Heriniensem,  
„ibique obeat per quindenam exerci-  
„tia spiritualia, & emittat Confessio-  
„nem generalem, quod per testimo-  
„nium Superioris nobis probabit, &  
„dein ad diæcesin nostram non amplius  
„revertatur sub poena incarcerationis  
„sine ulteriori decreto. Datum Bruxel-  
„lis in Palatio nostro Archiepiscopali  
„hac die prima Decembris Anno Christi  
„millesimo septingentesimo tertio.,,

Evidem Brigodæus concessam  
hanc gratiam avide amplexatus, cuncta  
se integra fide adimpleturum, ore &  
calamo professus est. Ast libertati red-  
ditus, ad vomitum redit: Gerberon-  
nus quoque, licet Archiepiscopi sen-  
tentiae lubenter sese submississet, at-  
que ad omnes, quas irrogare placuerit  
poenas, paratum se diceret, instituto  
tamen juris processu ad revocandos  
suos errores & formulare sine limita-  
tione subscriendum haud induci po-  
terat, hinc ejus caussa diu agitata, tan-  
dem pronuntiata sententia damnatus  
est, ut emissa fidei professione, formu-  
lario subscriberet, quinque propositio-  
num doctrinam ejuraret, & demum  
ad suam Abbatiam remissus, a suis

Hist. Eccles. Tom. LXVII.

F Su-

Sæc. XVII. Superioribus inclusus teneretur, do-  
A.C. 1703 nec Sacræ Sedi circa suam doctrinam  
plene satisfecisset. Verum Franciæ  
Rex eundem ceu sibi subditum extradi  
jussit, unde in Franciam delatus, pri-  
mo in Ambianensi arce, postea in Vin-  
cennarum carcere inclusus, per inte-  
gros quinque ac ferme sex annos hæ-  
fit, & demum octogenario major die  
decima octava Aprilis anno hujus sæ-  
culi decimo cunctos errores suos re-  
tractavit, suamque palinodiam trigesi-  
ma ejusdem Mensis die ratam habuit,  
postquam ex Vicennarum custodia in  
Monasterium S. Germani translatus  
fuerat.

### §. XXV.

*Quesnellus publico Archiepiscopi e-  
dicto comparere jussus.*

*Causa  
Quesnel.  
pag. I.*

Quamprimum Quesnellus e carcere  
profugus, Amstelodami suæ se-  
curitati sat prospectum crediderat, mox  
calatum suum, quo antea nec tiaræ  
nec sceptris nec Purpuræ pepercerat,  
contra Archiepiscopum Mechlinensem,  
sibique adversantes acuere, inque eum  
densam injuriarum nubem effundere  
cœpit: præprimis vero libellum, sub  
titulo: *motiva Juris* edidit, in quo  
rationes exposuit, ob quas tam Archi-  
episcopum suum, quam ejus judicium  
pro-